12

HYGIENES PROSPECTUM ET PROLEGOMENA
SISTENS

DISSERTATIUNCULA

QUAM

IN AUGUSTISSIMO LUDOVICEO MEDICO

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.

Deo duce & auſpice Dei-parâ tueri conabitur PHILIBERTUS COCHON Cabilloneus apud Burgundos, Artium Liberalium Magiſter & jamdudùm Medicinæ alumnus. Die decimâ-nonâ menſis Martii anni 1762.

PRÆSIDE

R. R. D. D. GABRIELE-FRANCISCO VENEL, Regis Conſiliario & Medico nec-non in Almâ Univerſitate Medicinæ Monſpelienſi Profeſſore Regio, è Regiâ Societate Scientiarum &c.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXII.

ARGUMENTABUNTUR

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. ANTONIUS FIZES, *Pro Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHE'S.

HYGIENES

PROSPECTUS ET PROLEGOMENA.

HYGIENE altera ex disciplinis Medicis, mutuato à Græcis nomine, sic dicta à voce *Ygieia, Sanitas*, Ars est tuendæ sanitatis. Hujus, præ aliis Medicinæ partibus, legitimus parens salutatur Divus HIPPOCRATES, quamquàm, ut ipsemet testatur, jam multi ante ipsum de hominis diætâ quæ ad sanitatem spectat scripserint; sed disjecta tantùm, & singularia quædam, illaque minus accuratè. (A) Hæc autem qualiacumque sint jamdudum invida delevit ætas.

Hujus quam plurimis Medicis post habitum studium. (B) De hoc argumento tamen non desunt nobiles Scriptores (C).

(A) Vide. Lib. I°. de diætâ, ipsomet initio.

(B) Hancce Medicorum incuriam sic notat Illust. FRIDERICUS HOFFMANUS (*Diss. de præmaturâ morte & morbis præcavendis* § I°.) illiusque causas finales, si minus Philosophico saltem religiosissimo hincque laudabili prorsus nisu expiscari contendit. Sic ergo ille: *turpe dictu est & pudet proponere. Medicos. . . . . scientiam suam hoc in argumento non satis excolere. . . . . . . videmus potius plures hisce in rebus parùm doctos in forum Medicum protrudi, qui omnes morbos sanare volunt, sed paucos possunt; consilium verò, quomodo præcaveri possint, in promptu ac paratu non habent. Hujus profundæ miseriæ causa nostris peccatis ac ingenti mentis corruptioni merito debet adscribi; ut potè benignissimus Deus obedientibus & piis tantum vitam longam promittit; inobedientibus vero præmatura mors & magna afflictio corporis est destinata.*

(C) In quorum Catalogo à D. MACKENSIE M. D. Edimburg. tradito, in eximio

Hujus objectum, ſubjecta, media, fontes indicare; integrum ſiſtema, quod vulgò arctioribus cancellis includunt, quantum decet univerſum coordinare ſuſcipimus. Quod quidem non vanum foret ſtudium, etſi adeo nudus enarraretur ſciendorum Proſpectus, ut ne unicâ Aſſertione ſcientificâ illuſtraretur. Namque jam multum perfecit, qui diſciplinæ objecta rectâ ratione compoſita novit, veroſque ſcientiæ fontes quos ſæpè magis arduum eſt recludere, quam haurire.

Nec ſic tamen ſuſceptam operam explere deſtinamus. Non ſolum enim dubia quædam, imò & aſſerta, modeſtè tamen, ut nos decet, ſubnectere animus eſt; verùm & quæſtiones quaſdam ad intimam rei medullam pertingentes compendioſè agitare, & quidem ad Exordio graviſſimam, namque 1°.

DE UTILITATE HYGIENES PROBLEMA.

Nihil extrà dubitationis aleam, primâ fronte, magis videtur conſtitutum, quam ſumma præſtantia Artis quæ felicitatis humanæ faſtigium, firmiſſimam ſcilicet ſanitatem atque exoptatiſſimam longævitatem ſpondet. Aſt protinus rationali dubio campum ſternit percelebre illud CELSI præceptum (A) *ſanus homo qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet; ac neque*

& eruditiſſimo quem nuper conſcripſit tractatu *Hiſtoria Sanitatis* inſcripto, ex noſtratibus deſiderantur melioris ſanæ notæ inter plurimos: (JOUBERT *Erreurs populaires.*) QUERCETANUS. (*Diæteticon Polyhiſtoricon.*) LEMERY junior (*Traité des Aliments.*) HECQUET (*Des Diſpenſes du Carême*) ANDRY [*Des alimens du Carême, Orthopædia.*] SCEVOLE DE SAINTE MARTHE (*Pædotrophia.*) BROUSET (*Education Médicinale des Enfans.*) DUHAMEL [*Moyens de conſerver la ſanté aux Equipages des Vaiſſeaux, & de purifier l'air des Salles des Hôpitaux &c.*) LE CAMUS [*Médecine de l'Eſprit*] LA CAZE (*Inſtitutiones Medicæ, Homme phiſique & moral, Réfléxion ſur le Bonheur.*

Ex exteris autem inter plures Illuſtriſſimum revocare juvat + Jod. LOMMIUM [*Commentarii de Sanitate tuendâ in* Ium. Lib. A. C. CELSI] & minime prætermittendum Doctiſſimum Fridericum HOFFMANUM opuſcula diætetica.

(*A*) Aurel. Corn. CELSI Medicinæ Lib. 1. Capit. 1.

+ aloysium Luisinum, utinensem medicum, de componendis animi affectibus per moralem philosophiam et medendi artem 1562

Danielem Vlierdenum Bruxellanum. Epistola non

Bruyerinus de re cibaria.
Education corporelle des enfans.
M. Lorry Essai sur les alimens ou la science diététique est reduite à des principes simples et lumineux.
Rivorii, 1762, mercati, christ. avega, perdulcis
Just. ...

Saluberrima bonae valetudinis tuendae praecepta Eobani Hessi Poetae doctissimi, Elegiaco carmine ad imitationem Galeni, novique commentariis illustrati. francofurti 1568. in 8. v. Hassardus Bibl. scriptor.

Medico neque iatroaliptâ egere &c. quod quidem dum præceptum eſt ut Artis proles abſolutè haberi poſſet, hincque erui Artis utilitatem in ipsâmet valentiſſimâ ſanitate. Fatendum tamen vix Artis nomine ſalutandam diſciplinam cujus unicum artificium extat omni artificio, & proprio quidem artifice carere. Undè ſi de ſanitate abſolutiſſimâ intelligenda eſſet definitio Hygienes ; ſi terminis præciſione Metaphiſicâ circumſcriptis de unico & indiviſibili optimæ ſanitatis ſtatu ageretur, ut aliquando reclamat Scholaſtica diligentia, tunc certè, ſi Celso adhæreremus de ſanorum præſtantiſſimâ diætâ, obviâ conſequentiâ denunciaretur Hygienes vanitas, tenuiſſima ſaltem utilitas.

Verum 1°. & ſaniſſimos etiam, tùm recens-natos tùm adultos, juxta antiquiorum, Hippocratis ipſiuſmet placita, plurimorumque populorum tùm veterum tùm recentiorum morem, & ſaniſſimos, inquam, auxilia ſaltem prophilactica manent ; & quidem è Pharmaceuticorum & Chirurgicorum cenſu, ut in ſequentibus fuſiùs explanabitur. 2°. Sic abſtractionibus circumciſa neutiquam veniunt objecta diſciplinarum practicarum, ſed realia & qualia fert natura variis accidentibus modificata : illaque facili tantum nexu componere novit Ars ſincera atque legitima. Exinde diverſa prorſus conſideratio extat ſanitatis practica, aut (venia ſit verbo) ſanitatis practicæ, ut ex ſequentibus animadverſionibus patebit.

NOTIONES REALES
Seu practica circa Sanitatem.

Definitiones vulgatiſſimæ Sanitatis, per exercitium perfectiſſimum functionum homini propriarum, aut per conſenſum omnium actionum & diſpoſitionum homini convenientium, notiones illas reales & practicas

De regimine cibi atque potus, et de caeterarum rerum non naturalium usu. ab Henrico Gerg. Anriquez Salmanticae 1594. in 4°.
Le medecin de soi même ou l'art de conserver la santé par l'instinct. a Leyde 1682. in 12.
[illegible] quaestiones de diversis generibus ciborum et potus Coloniae apud Corn. de Civiczée in 4°.
Selecta diaetetica auctore Behrens Francofurti 1710 in 4°.
Le conservateur de la santé par M. le Begue de Presle chez Didot 1763 in 12.
Sur l'education physique des enfans par Ballexferd Paris chez Vallat. 1762 Elle a remporté le prix
Via valetudinem secundam tuendi et vitae terminum propandi. a J. G. Brunner Giessa 1772.

non minus theologica quam Medica ostendens Medicum non corpori solum verum etiam animae suppetias dare. Basileae 1544. Portius de militis valetudine tuenda M. Geoffroy en vers 1771.
Ramazzini de Virginum vestalium valetudine tuenda
Ejusd. de Principum valetudine tuenda
Ejusd. annotationes in Librum Lud. Cornelii. de vita sobria
Mauriceau Maladies des femmes grosses.

quas hic tantum indagamus neutiquam sistunt; namque etsi in suo esse Metaphisico accuratissimæ essent (quod hic perpendere nec juvat nec interest) nihilo minus insufficientes prorsus demonstrarentur Arti immediatè regendæ; dum non objecta realia sensibilia, notiones inconcussas menti insinuant; sed ideas tantum universales hincque merè abstractas, atque ulteriorem disquisitionem, & non levem controversiam de actionibus & dispositionibus homini propriis.

2°. Sanitatem hominis perfectissimam specialiter constituere simulque apertè nobis declarare videntur sequentia: homini igitur sanissimam mentem gerenti in corpore sanissimo, corporis robur eximium, atque summa agilitas quæ roboris præstantissimus modus, tardissima à labore defatigatio, somnus profundus, continuus, à somno absoluta refectio; sensus acutissimi: ille externorum injurias & vicissitudines, victûsque errores inalterabili temperie superat; illi appetitus merè corporei vividissimi, ast distinctis & ordinatis periodis tantùm recurrentes, tuncque vegetissimâ alacritate explendi, venereus præsertim; appetitus autem factitii, animi scilicet affectus merè intellectuales, nulli. Ille nec inæqualitatis mole obruitur, nec servili reverentiâ pallescit, ille nec gloriolâ tumet, nec avaritiâ marcescit, nec vanæ curiositatis cacoethe cruciatur: nullis uno verbo seu externis seu internis vitæ civilis suppliciis malè torquetur.

Sed sanissimum illud animal, quod verum HIPPOCRATIS idiotam, CELSI hominem suæ spontis exibet, alibi frustra exquirendum, sanissimum illud animal, inquam, jamdudum à facie terræ evanuit, nec forsan extitit unquam nisi in Poetarum & Philosophorum fabulis. Sed extant adhuc homines proximè accedentes ad conditionem hominum recentum: quorumdam scilicet Americæ & Affricæ tractuum indigenæ, quos feros Europæi

pæi nominarunt. Horum viatores fummè & unanimi confenfu extollunt corporis robur, agilitatem, falubritatem, injuriarum aëris patientiam, fenfuum externorum acumen, ingenii tarditatem, longævitatem.

Sed perfectior hic adhuc fanitatis noftræ modulus. Regiones difciplinâ civili excultæ homines alunt ut & moribus fic fanitate à prioribus admodùm difcrepantes. Indubium eft enim hominem per perfectibilitatem fuam feriùs ociùs ruere in nativæ fuæ falubritatis ruinam.

Quibus caufis tùm phyficis, tùm moralibus à propriâ hominis fanitate neceffariò difcefferint homines in focietate civili conftituti non eft hujus loci difquirere. De hac autem difquifitione, quam Philofophi invaferunt vario admodùm fucceffu, obiter obfervabimus tantùm quod tota Medicinalis fit.

Nunc autem ad objectum verè noftrum propiùs accedamus, nunc exprimamus fanitatem noftram optimam, & hìc, in noftris Regionibus, Medico obviam obfervabilem. Homo ergo hodiernus & *civilis*, unus ex nobis, tunc faniffimus æftimatur cum propiùs accedit ad exemplar mox exibitum. Optandam autem illam conftitutionem exquiras tantùm in Sexu præftantiori, Ætate virili (A) Regione temperatâ &c. hancque in Rufticis, Militibus, Venatoribus &c. neutiquam verò in Urbanis & Litterarum cupidis, quos in Imbecillorum numero Principes conftituit CELSUS.

Quoàd autem Fœminam, Adolefcentulum, Senem; & his quoque aliquando valentiffimâ fanitate frui datur, non

(A) Hujus autem indicia funto: cranium amplum, capax; oculi micantes, vivaces; crines multi, denfi, afperi, nigri aut fufci; dentes integri, firmiffimi; collum craffum, nec breve; torax latus, amplus; abdomen nec pingue nec protenfum; artus firmi, carnofi, torofi, ad motum expeditiffimi; adeps parcior; vafa ampla; pulfus arteriarum lentus, fortis, æquabilis; refpiratio facilis, videlicèt cum minimo apparente thoracis motu; cutis denfa, fubfufca, pilis hirta; æquanimitas &c.

ſolùm reſpectivè ad propriam conditionem, ſed etiam abſolutè; quod potiſſimùm obſervatur in Viraginibus & Mulieribus ruſticis. Verùm hos ritè dixeris alienis dotibus beari; juvenculum, ſenem, mulierem propriâ naturâ valentiores ſanitate virili gaudere.

Aſt illis, Fœminæ ſcilicet, Seni, Adoleſcenti, inclementiſſimæ Regionis incolæ, imò & Urbano & Litterarum cupido &c. propria ineſt ſanitas ſub duplici reſpectu conſideranda: primò abſolutè ſeu quatenùs, quantùm licet, participat de perfectiſſimâ ſuprà exaratâ; ſecundò reſpectivè ſcilicet in quantùm accommodatiſſima eſt ſpecialiſſimæ conditioni cujuſlibet ſubjecti: ſic (ut gravi exemplo rem exprimam) optimum eſt alicui cantori quâ tali teſticulis orbari; ſic Litterato quâ tali; ſic Mulieri (A) in eſſe ſuo verè proprio conſideratæ ſcilicet quatenùs viri deliciis & gentis humanæ perennitati deſtinatæ ex directo adverſaretur athletica corporis firmitas.

Hi autem, ſimileſque ſpeciales habitus varias illas ſanitates reales conſtituunt de quibus in prægreſſis agebamus. Sed latiùs adhùc protenduntur ſanitatis limites, protrahiturque ſanorum numerus ex præcedentum analogiâ & modulo ampliandus, omneſque complexus habitualiter imbecillos, ſeu à causâ indomabili internâ qua-

[A] Hæc autem tùm quoàd propriam & individualem felicitatem, tùm quoad uſus ſociales tunc perfectiſſima nobis videtur, ubi ſequenti modo effingitur: florens Ætate; illi mores ſuaviſſimi, feſtiva ſed verecunda hilaritas, ingenuus pudor, innata timiditas; illi corpus procerum, aut quadratulum; inceſſus agilis, expeditus; cutis adipe denſo ſed parco diſtenta, diſtenta tamen, hincque lævis, tenuis, mollis, glabra, cæterum alba aut levitèr ſubfuſca, nihil aut ſuavè olens; facies decora, nitida, dulcè ridens; oculi nigri, vividi, aut ſubhumidi; genæ roſeæ; os ſuavem aut nullum odorem ſpirans; ſaliva inſipida; labia purpurea, tumidula, ſemper ſubmadida; dentes integri, albi, aliquantulum rari; crines multi, prolixi, molles, etſi nigri aut fuſci; collum & ſublime pectus carnoſa; thorax amplus; ſcapulæ depreſſæ; dorſum planum; mammæ parvæ, duræ, elatæ, laterales, quarum papillæ nullæ, areolæ vero planæ, æquales, circumſcriptæ, vividè roſeæ; abdomen ad hypocondria aliquantulum gracile, ad ilia amplum; &c. &c. &c.

les ſunt vita civilis, ſexus, ætas &c. ſeu ab inſuperabili externorum influxu, ut aëris, aliarumque ſic dictarum rerum non-naturalium, qualem influxum experiuntur, Nautæ, Milites, Litterati &c.

Atqui dum perfectè ſanis competeret tantùm prima Celsi lex de ratione victûs ſanorum, de quâ aliundè ambigitur; omneſque aliæ ſanitates à ſaniſſimo Adoleſcentulo, ad infirmiſſimam nec tamen ægrotantem Aniculam, artis opem experiuntur; hinc ſolvitur problema de utilitate Hygienes; hinc patent nobiliſſimum ejus ampliſſimumque objectum, multiplicia ſubjecta, quorum primò ſit Catalogus:

SUBJECTORUM HYGIENES recenſio.

1°. Juxtà, prægreſſas animadverſiones, ſaniſſimi.

Huc veniunt recens-nati promiſcuè & nullâ habitâ ratione vivacitatis vel imbecillitatis, auxiliis quibuſdam prophilacticis ſubditi.

2°. Imbecilli à causâ inſuperabili internâ. Hùc:

Mulieres quâ tales, præſertimque juvenculæ inſtante menſtruatione, gravidæ, puerperæ, vetulæ deſinente menſtruatione.

Utriuſque ſexûs:

Senes.

Adoleſcentes.

Infantes.

Temperamenta quæ ritè dixeris immodica aut, utili gallicíſmo, extrema

Valetudinarii,

Levibus, ſed conſtantibus valetudinibus obnoxii, ſub quâ quidem diviſione coordinandi non ſolùm illi quibus quædam nobilis functio ad ipſiuſmet vitæ incolumitatem

ſpectans, ut alimentorum digeſtio &c. labefactatur; vel qui univerſale quoddam incommodum patiuntur, ut enormem obeſitatem, vel immodicam maciem; verùm & qui varias ærumnas experiuntur, dolores putà ut ut leves; difficile, imminutum, vel ſuppreſſum ſenſûs cujuſdam exercitium; voluptatum, miſeris mortalibus Divinâ beneficentiâ conceſſarum, denegatam poſſeſſionem; tùm & externas quaſdam miſerias hominum conſortium officiaque ſocialia abigentes. Sub his poſterioribus reſpectibus veniunt levibus membrorum doloribus vexati, myopes, præsbitæ, ſurdi, balbi, claudi, edentuli, frigidi, ſpadones, deformes, fetentes, perpetuò crudi. &c. &c: &c.

Qui chronicis incurabilibus aut inſanabilibus detinentur, ſeu continuis ſeu intermittentibus; aut ſaltem quorum curatio tota diætæ committitur: quales ſunt veſani, epileptici, arthritici, colicoſi, hermicranici &c.

Convaleſcentes.

3°. Imbecilli à cauſa externâ ſaltem moraliter ineluctabili, hùc:

Urbani.

Litterati.

Negotioſi.

Perpetuis diverſiſque devotionibus, nimirùm vitâ celibe, ſobrietate, jejunio, amiſſâ libertate, vigiliâ, aliiſque corporis & animæ vexationibus, religioni ſpecialiter litantes: quales ſunt potiſſimùm vitam monaſticam degentes.

Quicumque conſuetudinibus aſtricti ſunt, queis ſcilicet habitus eſt altera natura, genuinâ ſemper debilior; ſeu conſuetudines illæ in ſe videantur indifferentes, ſeu contrà debitum non naturalium uſum evidenter peccent, ut tuburcinatio, nimius vel parcior potus, immodica ſpuitio, decubitus corpore prono &c.

Extremorum climatum incolæ.

Inſalubrium tùm naturâ tùm fortuito locorum, putà plagarum

Plagarum paludosarum, tractuum peste vel quâcumque epidemiâ infectorum incolæ. Hùc veniunt etiàm Navigatores, Nosocomiorum habitatores, Metallifossores; hùc, sub alio etiàm externorum influxu considerandi, Nautæ, Remiges, Carcere conclusi.

Operarii quicumque immoderatò & assiduò labore consumpti, tùm & violento quodam exercitio, ut Saltatores; Cursores, &c.

Artifices quamplurimi, quorum præcipuorum censum & miserias vide apud celeb. RAMAZZINI. (A)

Milites.

FINIS SEU OBJECTA HYGIENES.

Circà sanissimos: sanitatem conservare; scilicet hanc 1°. tueri, contrà incommoda merè possibilia, nec ullo peculiari indicio seu in genere seu in specie prævisa; 2°. Peculiares valetudines morbosvè longè prospecta eminùs debellare, quod quidem curationis genus in ipsismet Therapeutices limitibus constituitur.

Circà eosdem: valentiorum robur seu sanitatem imminuere (B). Cùi objecto summè affinis est indicatio valentissimam sanitatem deprimere illis quibus ineluctabili fato perfectissimæ sanitatis plena denegatur possessio: sic v. g. Adolescentulæ ut ætate, sic sanitate florentissimæ, hincque juvenili fervore intimas medullas veneris ignibus depastæ, ast vitæ celibi dicatæ, arte nostrâ misellæ succurendum est; quod nunquam perficitur nisi restinctâ ipsius-

(A) De Morbis artificum diatriba.

(B) Quem quidem scopum innuit HIPPOCRATES (I°. de diætâ) ubi omnia recensens quæ scitu necessaria sunt Medico circa sanorum diætam, sic de præsenti argumento scribit: *scire namque convenit quânam ratione ex valentibus naturâ* (I. E. Valentioribus) *vis detrahatur*; *& quomodo Imbecillis vim ex arte adhibere opporteat: idem* (Aphorism. 3°. sect. Iæ.) *atlhetici corporis habitus ad summum progressi periculosi. . . . . . igitur bonum hunc habitum solvere conducit haud cunctanter &c.*

met ſanitatis energiâ. Sic aſſiduè lucubranti, inſomnes conciliandæ noctes &c.

Circà recens-natos vel infantes 1°. Hæmorrhagiam à ſecto funiculo umbilicali cohibere. 2°. Citrà præviam declarationem infirmitatis vel validitatis omnium indiſtinctè corpus roborare, firmare; illi formam quamdam magis optatam, ſeu decorem nationalem inducere.

Circà Imbecillos in genere, hos ſub perpetuâ artis tutelâ tenere, ex quâ tutiſſimam vivendi normam, variaque ærumnarum ſuarum levamina accipiant; vel in eâ ſanitatis tenuitate contineantur quæ illis, juxtà conditionem ſuam *indeſerendam*, optima eſt.

Circà ſenes in ſpecie, illos juventuti reſtituere.

Circà Mulieres in ſpecie, corporis formam & decorem conſervare, adaugere, inducere; namque ad Hygienem potiſſimùm attinet Ars coſmetica.

Circà omnes: ſingulis longævitatem creare.

HYGIENES MEDIA SEU INSTRUMENTA.

Hæcce ut therapeutice, ſic Hygiene depromit ex triplici fonte. Pharmaciâ, Chirurgiâ, & Diætâ.

Auxilia Pharmaceutica & Chirurgica potiſſimùm adhibet nuda Prophilaxis maximè circà ſaniſſimos occupata. Hùc veniunt, antiquorum Emetica, Cathartica ſtatis temporibus à ſaniſſimis uſurpata, tùm & Inunctiones, Balnea &c. Hùc Aſiaticorum recentiorum Opiata, Maſticatoria; Europæorum potus variè Medicati, Errhina, Apophlegmatiſmi; hùc aurium perforatio; maſculorum tùm & fœminarum circumciſio apud quoſdam populos ſcopo diætetico adhùcdum celebrata; ſanguinis miſſio bis de anno apud Helvetos, ut perhibent, inſtituta; hùc frictionum, diſtorſionum uſus; &c.

Circà Recens-natos & Infantes præter funiculi umbili-

calis ligaturam, mersio in gelidam, Populorum septentrionalium; vetus illa consuetudo, quam in Thusciâ, ac nonnullis aliis Italiæ regionibus vigerè refert Hiero. MERCURIALIS, ut pueros adhùc lactentes, vel paulò majores in occipite ferris ignitis urant; hùc mœconii evacuatio apud nos arte maturata; hùc variorum Populorum capitis, pedum, thoracis, abdominis peculiaris effictio per compressiones, ligaturas, loricas &c. Tùm & membrorum violenta compositio ex fasciis &c.

Quoàd autem sanitatem Arte dejiciendam, robur detrahendum illis qui valentiores sunt quàm fert vel natura, vel relligiosa devotio, vel status civilis; illud evacuantibus Pharmaceuticis atquè Chirurgicis obtinere licet; verùm quàm maximè auxiliis diæteticis, laboribus potissimùm, tùm & inædiâ, vigiliis &c. perpetratur.

Imbecillorum moderamen á Chirurgiâ & Pharmaciâ quædam etiam mutuatur auxilia, qualia sunt Frigidorum flagellatio, Humidorum purgatio &c. Sed vix pura Hygiene hujusce subsidiorum generis administrationi præest; verùm saltem sub consortio therapeutices operatur. Directam verò & propriam opem Imbecillis fert Hygiene dum victûs modum, seû diætam, solerti ratione regit.

Vitæ autem salubritas tota subest certis quibusdam necessariis seû ineluctabilibus causis, quorum ut inordinatus perversusvè influxus sanitatem pessundat, sic restitutus legitimus modus, tùm & variè, prout subjectum quodlibet postulat, modificatus, compositus, præstantissimum organum extat instaurandæ, imò firmandæ & producendæ sanitatis, atque longævitatis inducendæ.

Has res non naturales vetus Schola vocitavit, incongruo forsan nec tamen temerè ablegando nomine, ut potè quod, aliundè minime æquivocum, meritò defendit, hoc in puncto, veneranda sanè antiquitas. Has sub sextuplici tantùm classe composuit minùs arguta veterum Schola-

rum ſedulitas (Aëre ſcilicet, Cibo & Potu, Motu & Quiete, Somno & Vigiliâ, Excretis & Retentis, & animi Pathematis.) In hoc potiſſimùm deluſa, quod graviſſima illa res Venus, neutiquàm, aut ſaltem inacuratiſſimè tantùm ſub illis claſſibus comprehendatur. Undè novam ſeptimamque proponimus, quam noſtro aliquandò inſigniendam nomine, jam nunc tanti honoris præſagus geſtit animus.

Scopum autèm peculiarem juventutem revocandi, cui congener eſt intentio infirmum corpus renovandi, ſicque pertinaciſſimos morbos eradicandi, hos, inquam, ſcopos aſſequi confidunt tùm & variis Chemicis arcanis, primis v. g. Vegetabilium Entibus PARACELSO (A) celebratis, cæteròquin ſapientiſſimo LE-FEVRIO noſtro (B), imò & ſummo illi experientiæ Patrono ROB. BOYLEO (C) acceptis; tùm & ſanguinis transfuſione, quæ integro abhinc ſæculo vario admodùm ſucceſſu tentata fuit, moxque obſolevit (D).

Finis generalis nobiliſſimuſque, ſcilicet longævitati conſulere, non ſolùm ex ſedulâ temperantia (quem tutiſſimum præſtantiſſimumque modum & infirmiſſimis etiam minimè denegatum inſignis, notiſſimaque declarat LUD. CORNARI Hiſtoria (E)) expectatur; verùm & ex auxiliis quibuſdam Pharmaceuticis, variis nempè Panaceis ad longævitatem perennemque ſanitatem, quas antiquiores etiam Medici deſideraverunt, imò & non nulli propoſuerunt, quaſque exquiſiverunt non ſolùm in Antidotis

(A) Tractatu de renovatione & reſtauratione.

(B) LE FEBVRE Traité de la Chimie Part. II. Lib. II. Cap. IX.

(C) De utilitate Philoſophiæ experimentalis.

[D] Namque prima tentamina in Actis Soc. Reg. Ang. ad an. 1666. relata, eodem anno inſtituta fuere à celeb. Scilicèt RIC. LOWER; jamque anno 1679 extabat MEKLINI opus *de ortu & occaſu transfuſionis ſanguinis* exquo quidem potiſſimùm opere excerpta eſt Hiſtoria illius integra apud jam laudatum celeb. MACKENSIE reperiunda.

[E] Quam ipſemet evulgavit non ineleganti Libello *de vitâ ſobriâ &c.*

dotis illis nobilioribus, quæ *Manus Deorum* vocitabant, verùm & in simplicibus quibusdam præsertim vegetabilibus; quarum, inter nobilissimos quàmplures Philosophos & Medicos, egregii defensores fuere, sæculorum suorum, imò & nostræ Ætatis splendidissima lumina, uterque BACO (A), interquas tandem eminent Chemicorum Medicinæ universales: hanc & quoquè spem adimplendam promiserunt Medici quidam percelebres ex integris processibus curatoriis; talis est v. g. methodus quam ex VERULAMIO imitatus BOERHAVIUS, ex nudis speculationibus (ut tanto alioquin viro solemne est) orbi Medico obtrudit (B).

TRACTATUS ADORNANDI SPECIALIS RATIO

Sic procedendum nostro judicio incumbit de objectis suprà recensitis acturo, ut 1°. Problemata specialia moveat de quolibet medio modò propositis tùm in genere & absolutè tùm sub artificiali utrorumque nexu consideratis; videlicèt de utilitate & *explebilitate* cujuslibet finis in genere, quàm præstantia sint, innocua, vel dubia auxilia quælibet in se, seu ex propriâ naturâ; tandem quàm habilia peculiaribus effectibus præstandis quibus dicantur.

Tales autem disquisitiones potissimùm instituendæ circà sic dictas res non naturales quarum scilicet legitimum moderamen magis proprium & speciale præbet Hygienes organum; hinc quantùm licebit, absoluti perficiantur

(A) ROG. BACONIS *opus majus ad Clement. IV. Pont. Max.*
BACONIS VERULAMII *Historia vitæ & mortis.*

(B) Illam sic exprimit in contractissimâ suâ Hygiene, Inst. Med. N°. 1062. *Mutationes ferè radicales humorum per resolventia, horum dein excretiones succedentes, ut sunt receptæ curationes per virtutem Argenti vivi, aut per decocta attenuantia, exsiccantia, sudorifera, sæpè disponunt quam optimè ad expulsum veteracentis, & instaurationem novæ vitalis materiæ, unde prudens ars per has ad vitam longam ducit.*

tractatus de Aëre, Motu, Cibis &c. in quibus tamen primò perpendantur tantùm illorum proprietates absolutæ & generalissimæ, hasque variè modificandi artificia diversa.

Tandem artis summa, canonum scilicet practicorum sanctio sic statuatur, ut singulis artis subjectis Mulieribus videlicet, Senibus, Valetudinariis, Litteratis &c. Singularis tractatûs divisio concedatur in quâ sigillatìm proponatur quid cuicumque optimum est circà Medicinas, Chirurgias, atque Res non Naturales.

FINIS.